

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9285

Auteur(s) : Étienne de la Rouchefoucauld, Rennes (évêque)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1162

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Étienne évêque de Rennes confirme à l'abbaye de Savigny les dons faits dans son diocèse.

Tableau de la tradition

Original

A. Paris, Archives Nationales, L 969, n° 404.

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Redonensi, n° XXXVIII)

Texte d'après A

Stephanus Dei gracia Redonensis episcopus, universo clero et populo Redonensi salutem et benedictionem. Justis desideriiis religiosorum sancte Dei ecclesie prelatos justum est facilem prebere consensum. Justum est etiam omnes monasteriorum seu religiosorum virorum elemosinas atque possessiones in pace et jura sancte Dei ecclesie confovere. Ea propter karissimorum virorum Savigniensiū monachorum piis precibus annuentes istas eorum quas in episcopatu nostro possessiones habent in protectione et defensione beati Petri et nostra suscepimus et suscipiendo eisdem monachis in perpetuum confirmamus. Ex dono et elemosina Roberti de Vitreio grangiam de Faiel liberam penitus et quietam cum omnibus ipsis pertinentiis quam videlicet elemosinam ipse Robertus ad opus ipsorum monachorum custodiendam et conservandam in manu nostra posuit. Ex dono Conani ducis Britannie grangiam de Campoflorido liberam penitus et quietam cum Filgeriis Belle Quercus et pratis et nemoribus et omnibus aliis ad ipsam pertinentibus. Ex dono ejusdem Conani et alterius Conani avi et predecessoris sui herbagium ad falcandum et pasturam atque pasnagium et ligna ad focum et ad edificia domorum suarum in foresta Redonensi et in omnibus aliis forestis suis sicut in cartis amborum continetur. Ex dono forestariorum redonensis foreste Guidonis et Radulfi et Guillelmi, concessione filiorum et fratrum suorum quicquid ad jus suum pertinebat in eo quod dederant eis predicti duces in foresta Redonensi, quam donationem ipsi forestarii ad opus monachorum in manu nostra posuerunt. Insuper et subscriptas terras ad grangiam de Muscon pertinentes quam grangiam cum omnibus pertinentiis suis eisdem monachis jamdudum per cartam nostram sicut et predecessor noster bone memorie domnus Alanus episcopus concessi atque confirmavi. Ex dono Godaldi de Sesson et Pisson fratris suorum totam partem suam de Verneia liberam penitus et quietam excepta recognituine V solidorum andegavensium ipsi Godaldoin natale Domini reddenda. Ex dono Gaufridi Torcheburre et sorore sue et propinquorum suorum, concessione filiorum et nepotum suorum, concessione etiam R de Vitreio et aliorum dominorum suorum totam similiter partem suam de Verneia liberam penitus et quietam excepta recognitione duorum solidorum Redonensium Guillelmo filio

Mainaris filii Delie in cena Domini reddenda. Ex dono Eudonis Touse concessione filiorum ac nepotum suorum concessione etiam dominorum suorum Hervei de Moscon et Hevelini fratris sui, confirmatione etiam filiorum Zacharie ac nepotum suorum totam terram suam de ercheria quam videlicet Percheriam idem Eudo dedit supradictis monachis in commutationem pro quadam parte terre ipsorum de Landemeouc liberam penitus et quietam. Has autem supra scriptas quas jam habent supradicti monachi vel in futurum in episcopatu nostro Deo largiente habituri sunt possessiones cum omnibus libertatibus et quietanciis suis ratas fore episcopali auctoritate constitutis et ut illse et inconcusse eisdem monachis in perpetuum perseverent presentis scripti testimonio et sigilli nostri suppositione communitio prohibens ne qualiscumque persona has elemosinas ipsis subtrahere et diminuere aut possessores earum dedere seu perturbare presumat quod qui facere ausus fuerit anathematis ultione puniatur. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MCLXII. Teste Helia cantore, Evano capellano, Ascelino canonico, Stephano Emendato, Igebato monacho, Petro de Castellogironis, Radulfo Pisce monachis Savigneii et multis aliis.